



OJ
INTER·FOLIA·FRVCTV

ZU DER

ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG

SÄMMTLICHER KLASSEN

DES

DOMGYMNASIUMS ZU NAUMBURG

VOM 22. BIS ZUM 25. MÄRZ 1858

LADET ERGEBENST EIN

DR. FÖRTSCH,
GYMN.-DIR.

Inhalt:

1) Quaestionum Horatianarum particula. Scripsit Richardus Hasper
2) Schulnachrichten vom Director.

Naumburg,
Gedruckt bei Heinrich Sieling.
1858.

Ad hunc libellum, quantuluscunque est, scribendum aggredienti mihi incidit illud Horatii quod est in Epistola ad Pisones: *Infelix operis summa, quia ponere totum Nesciet:* quibus poeta verbis reprehendit fabrum, qui quamvis singulas statuae partes non sine quadam arte exprimere possit et aere imitari, in tota statua fingenda non eandem assecuturus sit laudem. Cui si quis me in iis, quae scribenda mihi proposui, quadamtenus similem esse dixerit, quod ne ego quidem totum ponere conatus sim: haud prohibebo, dummodo non inepte singula quaedam a me dicta esse sibi persuadeat. Eo tamen, opinor, vel plurimum ab illo differo, quod, cum is sibi proposuisse videatur, quae humeri recusent ferre, equidem materiam sumpsi viribus aequam. Nempe, cum ille, cujus vires tali operi impares erant, totam ponendam statuam suscepisset eaque perfecta laude se dignum fore speraret: nos, si partis ejus, quam nunc edituri sumus, quaedam erunt probabilia, acquiescemus.

I. De Hor. Ep. ad Pis. v. 75 sqq. paucis praemissis de universa a. P. epistola.

Jam accedimus ad Horatii ex Epistola ad Pisones locum, cui pauca volumus de universa hac epistola praemitti. Olim enim diu multumque disputatum est nec mihi prius quam diligenter varias sententias examinarem plane perspicuum erat, quid tandem esset quod poeta assequi hac epistola voluisset. Jam vero cum ex summi viri Bernhardyi ad hanc epistolam prooemio prima mihi paucos ante annos affulgeret lux, summa ex hoc capita huc licebit transferre. Varia autem de poetae in hac epistola conscribenda consilio judicia accurate et dilucide singulari libro exposuit Streuberus.

Etenim cum alii Horatium dicerent in hac epistola praecepta de arte poetica dedisse nullo quidem ordine nec certa ratione composita, alii perfectam artis poeticae atque

omnibus numeris absolutam tradidisse doctrinam: erant etiam, qui mediam inter utrosque insistentes viam peculiarem quendam ad finem hanc epistolam scriptam fuisse existimarent: vel ad Pisonum animos a versibus faciendis deterrendos et avocandos, quippe qui nullo Musae ingenio praediti huic studio impares essent, vel ad malos omnino poetas castigandos atque exagitandos, sic, ut judicium de Romanorum poesi, praesertim scenica, prorsus emendanda proderetur. Ac longe plurimi quidem „tanquam silvam temerariam ex variis observationibus et praeceptis sparsisque sententiis conflatam hanc epistolam interpretantur: velut Salmasius: Epistola Horatii ad Pisones perpetuum ordinem seriemque nullam habet, sed ab uno praecepto ad aliud transilit, quamvis nulla sit materiae affinitas ad sensum connectendum“: quocum fere consentiens Dacierius „methodum et subtilem juncturam desiderat et Horatium dicit in hac epistola aliam ex alia quaestione tractantem et per gratam negligentiam subtexentem, quidquid subitarum observationum in mentem venisset, certum finem consectari noluisse.“ Pauci vero signifero D. Heinsio, cujus sententiam prae ceteris ad summum fastigium adduxit Michelsenius, qui „nihil non in ordines et cancellos systematis includere laborabat“, plenas et perfectas institutiones in hoc libello agnoscunt et collaudant. Et inter eos, qui hac epistola de poesi potissimum scenica Romanorum emendanda agi putabant, excellit Ric. Hurdius, qui „tripartitam facit libelli descriptionem: et prima quidem parte (usque ad v. 88) varia generatim de muneribus et officio poesis praemuniri: secunda (usque ad v. 284) gravissimas regulas de dramate Romanorum, praecipue de tragoediis scienter componendis explicari: tertiam vero studia bene dicendi et curas in elocutione, praesertim scenica, ponendas complecti.“

Atque harum quidem sententiarum, quas a Streubero accuratius expositas breviter modo composuimus, nulla verum prorsus videtur attigisse. Quis enim Horatium, qui in hac ipsa epistola (v. 35 sqq.) irridet eos, qui ponere totum nequeant: (qui v. 41 sqq.) ordinem in poematis servandum commendat, sine ordine composita dedisse praecepta existimet? Quam leviter, qui id judicant, Horatii honori consulunt! Quis autem perfectam artis poeticae doctrinam hac epistola contineri sentiat? Profecto si id voluisset poeta, permulta ei erant adjicienda, leviora quaedam praetermittenda. Jam propius a vero absunt, qui judicium de Romanorum poesi ab omni parte emendanda factum esse ab Horatio existimant: quamquam id cur potissimum in epistola ad Pisones data factum

sit, non ita sponte patet. Omnino enim, si accurate et intentis animis perlegerimus epistolam, concedendum est privatis eam usibus fuisse consecratam: quam rem jam satis comprobat, quod pluribus poeta locis ipsos Pisones alloquitur. „Piso autem juvenis in versibus faciendis elaborabat ac tragoedias in scena committendas minitabatur.“ Itaque dum singulas poeta, quae idoneae ei videbantur esse ad tironem informandum, regulas constituit, quam grave docet et quam difficile sit carminum fingendorum munus (usque ad v. 153): cui rei aptissime subjungit lineamenta poesis scenicae simul cum historia Graecorum inventorum usque ad v. 304, ubi denuo excipit, unde exorsus erat, majorem etiam tenero Pisonis animo majestatem et reverentiam operis poetici commendans: sic, ut haec tantum ad ea, quae bonis et prudentibus poetis expetenda fugiendave sint, spectent: desinit autem epistola in salsam castigationem atque irrisionem mali illius poetarum gregis, cujus ab assentationibus et levitate deterrentur alumni.

„Tironem autem fuisse Pisonem in poesi, declarat color praeceptorum et institutio ad captum paene puerilem accommodata“: velut v. 251 sqq., ubi de trimetro iambico poeta exponit, „quae magistro quam eleganti poeta digniora esse videntur. Habuit igitur Horatius cur viribus suis parceret ac seriem praeceptionis non modo relaxaret et in anfractus deflecteret, sed familiari etiam sermone callide temperaret atque facetis salibus per lenem irrisionem nunc errores populi Romani nunc insaniam juvenum eruditulorum pungeret.“ Et hac quidem potissimum de causa undevicesima libri primi epistola et prima libri secundi, quamquam similibus in argumentis versatae, discrepant a nostra epistola, quia in illis non cum tironibus res est, sed cum viris eruditissimis summisque poeseos fautoribus, cum Maecenate et Augusto, quorum alterum Horatius tanquam nobilissimum aetatis suae litterarum et artium interpretem colebat, Augustum vero tanquam rei publicae principem eundemque, id quod familiaris cum Virgilio, Vario, Horatio, aliis consuetudo declarat, poetarum patronum et ipsum Musis amicum splendidissimo honore amplectebatur. Apparet igitur Horatium, cum hac in epistola in primis poeseos fundamentis versaretur, multis locis multo majorem quam reconderet ut ad tironem scribens „doctrinam in recessu habuisse. Et revera non opus erat doctrina late diffusa: nam affluunt virtutes summo poeta dignissimae, quae copiis eruditionis quantaevis antistare putandae sunt: quippe qui nullam attigerit totius argumenti partem, quin prudentiam et acerrimum pulchri sensum comprobaret.“

*

Jam v. 75 sqq. leguntur verba:

Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos:
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant et adhuc sub judice lis est.

de quibus multa disputavit Franckius in libro qui Callini nomine inscribitur sive de origine carminis elegiaci. Cujus cum primum legerem sententiam, satis ea mihi videbatur probabilis. Nec vero tam accurata in singulis rebus et subtili disputatione opus fuisse ad explananda Horatii verba fatendum est. Franckius igitur, ut jam late vagantem ejus disputationem, quoad e re nostra est, in summam quandam cogamus, verba dicit „versibus impariter junctis querimonia primum, post etiam inclusa est voti sententia compos“ ad initia metri elegiaci referenda esse eamque ob causam erravisse Horatium in his verbis demonstrat, quippe qui non distinguens originem nominum *ἔλεγος, ἐλεγεία, ἐλεγεῖον*, a metri elegiaci origine initia metri elegiaci fuisse carmina lugubria et amatoria statuat. Nempe, qui primi hoc metro usi fuerint, Callinum dicit et Archilochum, eos nequaquam composuisse aut lugubria sive funebria aut amatoria carmina. Fuit enim, inquit, Callinus bellicus poeta neque ullum ejus aut commemoratur lugubre carmen aut ingenio ejus, si commemoraretur, consentaneum videri posset. Nec vero magis Archilochi quam Callini funebres erant elegiae: neque omnino Archilochus querula ac lugubria carmina, quamvis posset, voluit scribere. Nam etsi saepe lugendi vel querendi locus ei datur, nunquam tamen ejusmodi rebus sese dedit, ne tum quidem lugens, ubi de affini quodam fluctibus obruto et insepulto dicit. Sed fac Archilochum bis terve ostentandi ingenii causa contra naturam suam lamentatum esse. Ideone Horatio credibile videri poterat, Archilochum inventorem esse elegiae, cujus initia putabat in carminibus lugubribus fuisse versata? Ex his igitur concludi potest: si vera esset Horatii de elegiae initiis sententia, minime posse aut Callinum aut Archilochum inventorem elegiae judicari.

Haec fere Franckius de verbis: „versibus impariter junctis — voti sententia compos“. Atque illud concedere quidem ei debemus, non posse Callinum vel Archilochum auctorem elegiae judicari, si revera nulla alia nisi lugubria carmina initio fuissent condita. Sed tamen, si legimus nostrum locum eo quo sine dubio voluit Horatius

animo totam epistolam legi, quis est qui in his poetae versibus adeo urgeat vocem *primum?* Nempe ille singula Pisoni officia et munera poetae enumerans in his etiam illud ponit, ut suum cuique carminum generi proprium metrum reddat et servet. Jam vero inter ea, quae elegiaco metro (versibus impariter junctis) soleant scripta esse, argumenta duo potissimum commemorat: primum ea, quae in re funebri sive lugubri versabantur, deinde etiam amatoria, Simonidem haud dubie significans prae ceteris et Mimnermum: quos tamen ipsos non primos fuisse carminum elegiacorum auctores, id haud putare possumus fugisse Horatium. Illud autem, opinor, extra dubitationem positum est, plurimum valere in carminum elegiacorum genere ea, in quibus de funebri aliquo argumento agitur: Simonidis praecipue Cei carmina, a quo ipso totum illud genus nomen duxit elegiarum ab ejusque demum carminibus hoc nomen ad ea etiam, quae jam pridem eodem metro condita fuerant, translatum est. Ceterum tenendum est Horatium, ut in sermone familiari, propter ea, quae in hac epistola obiter et quasi in transgressu commemoravit de rebus ad litteras antiquas pertinentibus, minime auctoritatem in rebus litterariis fuisse sibi vindicaturum: velut, quod v. 220 tragoediam ab hirco (*τράγος*) tanquam certaminis tragici praemio dato dictam esse putavit, id jam dudum explosum et refutatum est: itemque, quae v. 276 sqq. de Thespidis curru et de actoribus, qui „peruncti faecibus ora“ fuerint, traduntur, aut merae sunt fabulae aut ea a comoediae initiis repetita falso ad Thespidis tragoediam translata.

Atque haec quidem hactenus. Jam vero etiam de sequentibus verbis „Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor, Grammatici certant et adhuc sub judice lis est“ disputavit Franckius. Etenim postquam demonstravit falsam esse Horatii de elegiae initiis opinionem eam ipsam ob causam, quia necessario aut Callinus aut Archilochus metri elegiaci auctor judicandus sit, quorum neuter carmina funebria composuerit, idem, ut tandem ea, quam Horatius adhuc sub judice esse dicit, lis dijudicetur, conatur firmis argumentis ostendere, non posse alium quemquam putari elegiae auctorem nisi Callinum, cujus quidem rei gravissimum argumentum hoc est: Cum enim Tyrtaeus, quem cognita habuisse Callini Ephesii carmina manifestum est, Atheniensis fuerit, neque potuerit idem antiquis illis temporibus, ubi nulla fere inter Graecos Europaeos et Asiaticos erat conjunctio, Callini carmina vivi adhuc cognoscere: inde non modo veritatis quadam specie, sed evidentissime colligi atque concludi potest, haud paullo Tyrtaeum posteriorem fuisse

Callino. Archilochus autem cum Tyrtaeo suppar aetate fuerit, apparet, non huic, sed Callino multo natu majori inventionem metri elegiaci esse tribuendam.

Huic vero Franckius argumento alteram etiam, qua demonstret Tyrtaeum aliquanto posteriorem fuisse Callino, rationem addit repetitam illam ex ipsa Tyrtaei et Callini fragmentorum natura et ingenio. Et iis quidem argumentis etiamsi jam persuasum nobis sit Callinum potius quam Archilochum metri elegiaci auctorem esse judicandum: tamen nondum demonstratum est, nulli alii posse nisi Callino hoc inventum tribui: quod vereor ut omnino possit ostendi. Quamquam etiam hoc Franckius satis jam refutavisse sibi visus est. Parum enim, inquit, credibile est, ad Aristarchi et Aristophanis et aequalium grammaticorum aetatem veri elegiae inventoris ne mentionem quidem pervenisse. Omnino enim novorum inventores metrorum clarissimi solebant esse poetae. Sed omnium maxime admirabilis debet videri, qui primus omnium novum metrum adjecit heroico. Hujus igitur poetae nomen, nisi miro quodam ac singulari casu, non poterat interire. Atqui, cum non tantus esset poetarum elegiacorum numerus, ut alter alterius memoriam obscurare potuerit, id ipsum confirmat temerarium fore, si quis nisi summa necessitate coactus vel suspicaturus sit, carmen elegiacum neque a Callino neque ab Archilocho, sed ab alio poeta ignoto quidem illo grammaticis Alexandrinis fuisse inventum. Cui nos argumentationi id unum satis habemus objicere: ne hexametri quidem, primi omnino metri, originem satis nobis esse notam et perspicuam. Nam Homerum quidem nemo jam dicit inventorem sive auctorem hexametri. Itaque, quod in epica Graecorum poesi accidit, ut scilicet omnia rudia ante Homerum hexametri elementa et initia interierint, idem putabimus ad elegiam adhibendum esse, si quidem non verisimile est, initia statim novi carminum generis tanta metri mobilitate et perfectione condita fuisse, quanta elucet ex fragmentis eorum, qui primi elegiarum scriptores ad nostram aetatem pervenerunt.

II. De Hor. Sat. I. 4, 11.

Accedimus ad alterum locum Horatii, qui est in IV. libri I. satira, interpretandum, ubi v. 11 leguntur haecce: „Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles“. Qua in re, quod sane libero animo hunc versum legenti mirum fere videatur et supervacaneum tanquam per se patens et quod ideo non egeat disputatione, quaeritur, quam in hoc

versu vim ac potestatem habeat verbum *tollere.* Sed si videmus et cogitamus, quantum de eo viri doctissimi discrepent, quotque de ea re disputare sibi proposuerint, ita, ut unusquisque suam pro recta et certa habens aliorum sententiam infirmare studeret: non jam inutilis videbitur talis quaestio. Hanc tamen ne sic quidem fuissem instituturus, cum summa quaeque capita ad nostrum locum pertinentia a Kirchnero jam tractata sint ejusque ad Horatii verba annotatione res jam ad liquidum perducta videretur, nisi novissime viderem in editione Horatii quam curavit Fr. Ritter nulla fere disputationis Kirchnerianae ratione habita nostrum locum prorsus contraria iterum ratione fuisse explicatum. Non igitur sine pavore quodam confitemur nos ad propositum nostrum aggredi, cum toties jam de eadem hac re disquisitum sit. Accedit, quod duobus aliis locis considerandis, quos ab omnibus fere ad h. l. interpretibus comparatos non possumus silentio praetermittere, disputatio et paulo longior fiet et difficilior. Quippe Horatius in Sat. I. 10, 50 sqq. de Lucilio judicium, quod nostro loco profert, aliis repetit verbis: nec non Quintilianus (X. 1, 94) Horatii sententiam paulum varians orationem affert. Jam vero his rationibus perculsos nos et animo fractos spes erigit fore, ut ipsa horum trium locorum comparatio, quamvis magis impeditam efficiat disputationem, tamen, si omnia perpenderimus argumenta, tanto magis judicium nostrum sit firmatura.

Itaque primus nostrum locum accuratius illustrare conabatur Spaldingius in editione quam curavit Quintiliani, cujus impugnans sententiam Buttmannus in Addendis ad Quintil. X. 1, 94 eadem fere de hac re exponit quae postea Heindorfius ad nostrum locum. Contra hos vero qua solet subtilitate pugnat Fr. Aug. Wolfius in Analectis litterariis I. p. 185. Qui alii de nostro loco disputaverunt, eos Kirchnerus attulit. Jam nostrum est exponere rationes, quae et ab illis et ab hoc allatae sunt, ut pondere earum perpenso quas nos sequimur partes defendamus.

Buttmannus igitur tres affert rationes, quibus vult demonstrare, verbum *tollere* nostro loco idem esse quod *probare* sive *servare:* quarum primam positam esse vult in ipsa imaginis veritate, alteram sumit ex iis verbis, quae in altero Horatii in satira X. loco verba huc spectantia sequuntur: „Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero“: denique ne Quintilianum quidem l. l. aliter posse verbum *tollere* accepisse conatur demonstrare. Eandem vero verbi *tollere* interpretationem probavisse etiam Heindorfium jam diximus. Is enim primum ait jam in altero loco Horatiano et particulam *quidem*,

quae non possit non ea infringere, quae antea sint dicta, et totam adjectam sententiam „saepe ferentem Plura quidem tollenda relinquendis", quae necessario exprimat aliquid, quod non jam verbis antecedentibus „at dixi fluere hunc lutulentum" contineatur, documento esse verbum *tollere* idem fere esse quod *servare:* deinde vero ne Quintilianum quidem aliter hoc verbum interpretatum fuisse, quippe qui in afferenda Horatii sententia verbo „possis" maluerit quam „velis" uti („esse aliquid quod tollere possis"), id quod non facturus fuisset, si v. *tollere* voluisset idem esse quod *auferre:* tum eandem interpretationem jam antiquis scholiis probatam, quorum ipsa verba affert. Ceterum verba „erat quod tollere velles" si aliter atque ab ipso acciperentur, superflua fore putat, quia nihil aliud in iis, nisi quod jam in protasi „cum flueret lutulentus", insit. Denique affert locum quendam Senecae, qui huc spectet et nostri loci sententiam eodem modo referat, quo ipse interpretatus sit. — Hae fere sunt rationes et Buttmanni et Heindorfii, quae nunc accuratius nobis inspiciendae et examinandae erunt.

1. Buttmannus igitur verbum *tollere* idem fere esse censens quod *probare* sive *servare* primum, inquit, ipsa imago prohibet, quominus verbum *tollere* interpretemur quasi sit *recidere.* Etenim si totus lutulentus sit rivus, quomodo dici possit esse in eo quod improbes? Buttm. igitur putat non posse a l i q u i d improbari in flumine lutulento, quia o m n i a improbentur, quia omnia sint lutulenta. Fac ita esse. Quomodo autem in flumine, quod totum utpote lutulentum improbari debet, tamen inesse possint, quae laudentur (ita enim interpretatur Buttm. verba „erat quod tollere velles") id fateor me prorsus non intelligere. Quare ne Buttmanni quidem interpretatio a discrimine nos liberat, si revera tale adest, quod ego sane non video. Quid enim? nonne additis demum verbis „erat quod tollere velles" praecedentia „cum flueret lutul." accuratius definiuntur? Nempe modus quasi constituitur luti: minime scilicet omnia sunt lutulenta, sed multa reperiuntur etiam bona atque utilia: haec sunt, quae relinquere, sed lutulenta illa tollere velis. Verba igitur sic intellecta neque, ut vult Buttm., imaginem corrumpunt, neque ut Heindorfius, superflua sunt.

At de tollendo, inquit Buttm., id ut significet idem quod v. *auferre,* cogitari plane non potest in flumine aquae perennis. Quid vero impedit? cur non tolli sive auferri aliquid potest e flumine aquae perennis? Nonne rivi illi apud nos, qui per urbes fluentes stercus earum deducunt, nonnunquam purgantur? nonne lutum ex iis aufertur et tollitur? Nec vero concedere possumus Buttmanno infinitivum activi orationem reddere

ineptam dicenti, quia demptum quidem fortasse et sublatum velis lutum neque vero ipse illud auferre et tollere. Sed quid est cur aut noluerit aut non potuerit ipse Horatius lutum tollere ex operibus Lucilii? Immo, ut recte demonstrat Wolfius, benignitas quaedam et animus in Lucilium mitis ac placidus potest, siquidem, quod ab adversariis fit, urgemus verba et ad defendendam sententiam nostram argutias captamus, ex eo cognosci, quod Horatius se ipsum dicit lutum tollere velle Lucilii. Ex iis igitur quae diximus si conclusionem facimus, nihil jam in Horatii verbis superfluum, nihil contra imaginis a poeta adhibitae veritatem, nihil contra usum latine loquendi. Quaecumque ab hac parte contra nostram interpretationem dicta sunt, aut sunt refutata aut, si quid sit fortasse neglectum, aeque facili negotio refelli posse confidimus.

2. Quare ad alterum locum, quem excitaverunt, qui verbum *tollere* idem esse ac *servare* voluerunt, interpretandum accedimus, Sat. I. 10, 50 sqq., ubi haecce leguntur:

At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?*)

Et primum quidem iterum omissis iis, quae pro nostra interpretatione dicenda sunt, examinemus quae contra eam sint dicta: tum demum singulis adversariorum argumentis infirmatis ea proferemus, quae ad defendendam nostram interpretandi rationem erunt reliqua.

Buttm. igitur primum non intelligit, quomodo his verbis: „ferentem plura quidem tollenda relinquendis", si ita accipiantur, ut tollere sit *auferre et* relinquere *servare*, subjici possit illud: „Age, quaeso, Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?" Sentire quemvis putat, minime haec valere ad excusandum judicium, quo majorem partem libri alicujus vituperaris. At ne hac quidem in re quidquam difficile, sed omnia plana et aperta sunt. Quippe non modus vituperationis hic spectandus, sed omnino jus vituperandi. Siquidem, inquit Horatius, in magno quid Homero reprehendis, tum multo plura tibi erunt reprehendenda in Lucilio. Atque si modum velimus spectare vituperationis, cogitandum est rem nobis esse cum poeta aetatis Augusteae, quae sane nimis interdum delicata

*) Quod Ritt. scripturam codd. *dixi* (v. 50) mutavit et scripsit *dixti*, ut par est, nil curo: nec magis v. l. *reprendis* (v. 52).

et effeminata arti multo plus quam naturae tribuebat. Quare ea plura fortasse, quae vituperentur, quam nostra aetas etiam in Homero reperisse putanda erit, quia illum non ex ipsius tempore, sed ex suae aetatis ingenio atque conditione interpretabatur: quam quam profecto non video cur non in interpretatione, quam modo posuimus, acquiescere liceat.

Heindorfio autem nostrae verbum *tollere* interpretandi rationi obstare visa est particula *quidem*, quae necessario praecedentia angustioribus circumscribat limitibus et quodammodo infringat, ut particula *quamvis*. Contrariam igitur ait necessario inesse sententiam oportere in enuntiatione a particula „quidem" inchoata antecedenti, quod fieri non possit nisi ita verbum *tollere* ut ab ipso accipiatur. At utuntur Latini particula *quidem* etiam ad sententiam quandam accuratius definiendam, id quod apparet ex conjunctis „et quidem". Sic igitur accipienda haec verba quasi scriptor prosarius haecce posuerit: „at dixi hunc fluere lutulentum et ita quidem, ut saepe plura ferret tollenda relinquendis" sive, ut vult Kirchnerus: „a. d. h. f. l. saepe ferentem tollenda, et plura quidem tollenda relinquendis". Si vero etiamnunc sint qui cum Heindorfio eam potius particulae *quidem* vim et potestatem esse censeant, ut illa sententiam infringat vel angustioribus limitibus circumscribat: vel sic stabit nostra interpretatio. Nempe tum ea fere effici potest sententia: „at dixi hunc fluere lutulentum vel s a l t e m ita, ut saepe plura ferret tollenda quam relinquenda." Quamquam nos quidem hac particula etiam nostro loco putamus nonnisi praecedentem sententiam accuratius definiri, ut jam non, quod dicit Heindf., sententia per part. „quidem" adjecta superflua sit, sed ad verba praecedentia „at dixi fluere hunc lutulentum" recte accipienda et interpretanda plane necessaria.

3. Denique et Buttm. et Heindf. Quintiliani locum planissimum et maxime expeditum interpretando id volunt efficere, ut is ad ipsorum loci Horatiani interpretationem tuendam ac defendendam valeat. Apud Quintilianum enim haecce leguntur: „Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis (Lucilii scil. laudatoribus), tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid quod tollere possis putat." Jam quamvis ex hac tota enuntiatione evidentissime appareat Quintiliano,

quia Horatium opposuerit Lucilii laudatoribus, vituperationem visam fuisse in verbis Horatianis inesse, tamen aliter judicat Buttmannus: nempe a Quintiliano censet parcam illam laudem reprehendi, quae insit in verbis „et esse aliquid quod tollere (i. e. servare sive probare) possis". Haec autem num est parca laus, si dicuntur alicujus scripta magnam partem laudanda esse sive probanda? Nihil enim aliud esse v. *aliquid* atque „magnam partem" ex altero etiam loco Horatiano „plura quidem" e. qu. s. apparet. Accedit, quod particula „*et*" nunquam sententias adeo dispares ac dissimiles, quin paene contrarias sibi et inter se oppositas, jungere potest, quales ea jungeret in Quintilianeis illis verbis „fluere lutulentum et esse" e. qu. s., si verbum *tollere* a Quintiliano putaremus ita acceptum et explicatum fuisse quasi esset *probare* sive *servare*. Quod denique Heindf. Quintilianum dicit, nisi Horatii verba „cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles", item ut ipse accepisset, (id scil. ut esset *servare*) non potuisse verbo „possis" uti pro v. „velis", de ea re tam ingeniose quam recte judicavit jam Spaldingius, cujus Kirchn. etiam probavit sententiam: Quintilianum acerbum Horatii de Lucilio judicium indignatum haud inconsulto paulum mutatis poetae verbis posuisse: „esse a l i q u i d quod tollere p o s s i s", ne, quod non ex ipsius sententia esset, verbo „velis" uteretur.

Itaque ne hae quidem, quas e Quintiliani loco petierunt adversarii, rationes contra nostram loci Horatiani interpretationem valent: immo ne Quintilianum quidem apparet, cum necessario in poetae verbis „erat quod tollere velles" reprehensionem aliquam invenerit, aliter atque nos v. *tollere* interpretari potuisse. Quapropter cum non invenerim alia quae contra nostram sententiam pugnant argumenta, progredi licet ad ea, quibus haec defenditur, exponenda: nisi forte quis locum Senecae quem laudavit Heindf.: „Multa erant quae reprehenderes, multa quae suspiceres, cum torrentis modo magnus quidem, sed turbidus flueret", magni putat esse momenti, qui quo jure ad nostrum locum referatur equidem non intelligo.

Omnium autem, quibus recta et vera paratur interpretatio, rationum prima est, ut observemus usum dicendi. Contra quem quae pugnant doctissimorum virorum interpretationes, quamvis acutissime et sagacissime aut e comparatione similium locorum aut e consilio, quod scriptorem aliquem assequi voluisse statuunt, petitae, nihili fere sunt et facili negotio refutantur. Videamus igitur usum verbi *tollere*: quo quidem facile apparebit vel

*

maxime nostram interpretationem defendi ac sustentari. Monendum enim et animadvertendum est a nullo eorum, qui verbum *tollere* idem esse volunt quod *servare*, vel unum aliud hujus usus exemplum allatum et ne a Rittero quidem, novissimo ejusdem interpretationis auctore, post Kirchneri doctam disputationem, quae recte jam de ea re dijudicasse videbatur, quaesitum fuisse, num haec significatio verbi *tollere* usitata esset. Quippe hanc quaestionem verisimile est maximopere ab illis timeri, quia summa eam diligentia vitant et detrectant. Contra qui alteram defendit interpretandi rationem, Wolfius permultos affert locos, quibus demonstrat v. *tollere* idem esse quod *auferre* sive *recidere (ex magno tollere acervo, tollere pira, tollere ex oculis)*, quamquam ne eos quidem omittit, qui adversariorum sententiam videri possint defendere. Eorum autem numerus non modo tam exiguus est, ut nemini, qui magnam contrariorum copiam inspexerit, possit persuadere, sed etiam primo tantum adspectu illi contra nostram interpretationem videntur pugnare et accuratius perspecti ejus veritatem potius testantur. Etenim nonnullos Wolfius excitat locos, quibus id dicitur tolli, quod quis servare velit. Attamen primum hoc tantum fit, si v. *tollere* verbis opponitur, quale *abjicere* et similia: deinde etiamsi id dicatur tolli, quod quis servare velit, tamen *tollere* et *servare* hanc ob causam non jam synonyma sunt, sed inter se differunt ut causa et consequens. Ita Hor. ep. ad Pis. v. 367 sq.: „Hoc tibi dictum Tolle memor" et E. I. 18, 12: „Sic iterat voces et verba cadentia tollit", ubi v. *tollere* videri fere possit significare quod alibi v. *servare*. Sed si accuratius rem inspicimus et examinamus, apparet in talibus etiam locis verbum *tollere* propriam tenere significationem *levandi, allevandi, auferendi*.

Quamvis igitur Wolfii disputatio omnem jam videatur tollere dubitationem, si tamen sint quibus nondum prorsus persuasum sit, ii vetera adeant et inspiciant lexica, velut Forcellini, in quo cum ejus verbi *tollere* notionis, quam nostro quoque loco id tenere diximus, permulta allata sint exempla, ne unum quidem deprehendimus alterius, quam adversarii nostri defenderunt, significationis. Locos tamen qui nostrae interpretationi faveant, quamquam permagnum jam dixi numerum inveniri, addere insuper supersedeo neque quisquam eos desiderabit. Nec vero summum virum Reisigium habebimus a nostra interpretandi ratione dissentientem, qui, si dicatur *tolli aliquid mali*, v. *tollere* ait idem esse quod *auferre;* sin probabilia ac laudanda tolli dicantur, v. *tollere* idem fere esse atque *probare*. Quid enim? num lutum mali quid esse an probabile putabimus

Deinde vero num ea, quae aliis demum additis vocabulis verbo datur, significatio pro vulgata et vera habenda est?

Quae quamvis omnia satis plana esse et aperta ei debeant, qui non id unum egerit, ut in sua pertinaciter stet et perseveret sententia, si tamen etiamnunc dubii quid relictum fuerit, necesse erit animum nos iterum advertere ad alterum illum Horatii locum, quo poeta suum de Lucilio judicium defendit ac firmat. (Sat. I. 10, 50 sqq.) Ibi enim adversarii nostri cum verbum *tollere*, quod aliter fieri non poterat, eodem modo interpretarentur, id ut esset fere: *servare aliquid tanquam probandum*, non poterant non verbum *relinquere*, quod apparebat in illa sententia oppositum esse verbo *tollere* et contrariam notionem habere, eadem, qua nos v. *tollere*, vi et potestate instructum putare, id ut esset fere: *auferre aliquid tanquam improbandum*. Quis autem, qui libero est et incorrupto judicio, tale quid defendat? quis non sentiat hoc esse inculcare verbis vel quasi extorquere significationem? Itaque dubito, quamvis fortasse inveniantur etiamnunc, qui raram illam atque obscuram verbi *tollere* significationem frequenti et usitatae praeponant, fore qui ejus, quam adversarii nostri inesse in v. *relinquere* voluerunt, significationis patrocinium suscipiant. Etenim quis, si apud Ciceronem spes dicitur libertatis recuperandae relicta, eam dicat ablatam? cui dubia vel obscura hujus verbi notio potest esse, qui apud Caesarem haecce legerit verba: „nec tribunis plebis extremi juris intercessionis retinendi, quod L. Sulla reliquerat, facultas tribuitur“ et apud Livium: „non modo pacis, sed ne belli quidem jura relicta erant“? Nimium jam, opinor, plerisque ad nostram sententiam confirmandam et stabiliendam videbimur attulisse: plura vero iis, qui nondum convicti sunt, praebebunt thesauri latini. Itaque si ex iis quae diximus summam facimus, jam non dubium potest videri, quomodo noster locus sit accipiendus. Fac enim sententiam postulare, ut unum verbum rarissima quadam significatione a poeta usurpatum esse putemus: tamen, si de duobus in eadem enuntiatione verbis, praesertim quae ita proxime, ut nostro loco „tollenda relinquendis“ sese excipiunt, hoc esset statuendum, in eo jure offenderemus.

Denique vero quaeritur, num re vera sententia loci (revertimur autem, unde exorsi eramus, ad versum: „Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles“) flagitet eam, quam nos unice rectam et veram esse demonstravimus, interpretationem: quam quidem vix intelligo quomodo quis argumento ex sententia alterius loci Horatiani, quem modo

consideravimus, petito voluerit infringere, cum hanc ipsam ne admittere quidem alteram verbi *tollere* interpretationem satis nobis probavisse videamur. Etenim Horatius cum sibi, quid in Lucilio vitiosi esset, exponendum proposuerit, primum ait ejus vitium esse, quod in hora ducentos saepe versus dictet, i. e. quod loquacior sit eamque ob causam ejus oratio non limata sed incomposita. Hanc autem poeta sententiam in sequentibus ita exprimit, quasi fluat Lucilii oratio tam lutulenta, ut magna saepe ex ea pars tollenda i. e. auferenda sit.

Sic omnia optime et rectissimo ordine procedunt. Contra qui in Horatii verbis „erat quod tollere velles", laudem aliquam inesse volunt, ii non videntur nobis cogitavisse, quam non apte, ne dicam absone, si ipsorum interpretatio vera esset, poeta Lucilii laudes et vitia verbis suis mixturus et justam sententiarum seriem ordinemque turbaturus fuisset. Etenim illis videri debet Horatius primum (v. 7 sq.: facetus, emunctae naris) debitas Lucilio laudes assignavisse, deinde primario hujus vitio commemorato, quod scilicet nimis incuriose et negligenter saepe versus dictaret, subito (v. 11) perculsus fortasse laudatorum Lucilii conviciis hanc reprehensionem ipse infregisse et ut nimis asperam imminuisse aliquatenus vel etiam laudem repente aliquam inseruisse, denique (v. 12 sq.) adjecisse cetera illius vitia. Atqui quis talem Horatio in his sententiarum consecutionem exprobret? Immo sine ulla difficultate ex nimia Lucilii loquacitate et scribendi libidine nimia quaedam verborum apud eum abundantia consequitur, quam tollendo et recidendo cupias imminuere. Accedit, quod, si adversariorum nostrorum vera esset interpretatio, nequaquam Horatius haec verba „cum flueret lutulentus" sine ulla cum antecedentibus conjunctione ponere potuisset, sed necessario particula quadam adversativa ad haec addenda usurus fuisset. Minime igitur Horatius verbis „erat quod tollere velles" poterat laudis aliquid mediis Lucilii vitiis enumerandis inserere, praesertim cum, quae bona essent quaeque virtutes illius, paulo ante commemoravisset.

Nec vero in altero illo, quem adversarii nostri excitaverunt, loco sententiam admittere aliam verbi *tollere* interpretationem jam demonstratum est. Addimus, quod non leve videtur esse, ab Horatio, si v. *tollenda* idem fere esse quod *probanda* sive *servanda* voluisset, minime potuisse Lucilium dici fluere lutulentum et tamen (nam sic accipiebatur illud „quidem") saepe ferentem plura tollenda relinquendis. Nam si quod

flumen fingimus in universum undis lutum volvens, idem non possumus putare saepe plus margaritarum secum ferre quam luti.

Quomodo autem, dixerit quispiam, cum haec omnia tam plana sint et aperta, fieri potuit, ut tamen viri doctissimi longe aliter de ea re statuerent? At enim cum Horatii verba legerent, de Lucilio judicium adeo iis asperum visum est atque paene ab omni veritate abhorrere, ut persuadere sibi vix possent, poetam tam inique de illius carminibus judicaturum fuisse, eamque ob causam circumspiciebant, si qua alia ratione verba Horatii possent explicari. Quae quidem eorum via ac ratio minime probanda: immo annotandum iis potius, hoc de Lucilio judicium minus vere ab Horatio factum esse et, unde id fluxisset, demonstrandum erat. Quod sane facili negotio poterant efficere, Quid enim? nonne Horatius obtrectator erat Lucilii? nonne molestum ei esse debebat, quod, cum Lucilii opera in omnium paene essent manibus, ipsius nonnisi a paucis legerentur Romanis? Id vero, ut fere fit, respuentes maluerunt interpretes duos locos Horatianos modo a sermonis consuetudine prorsus alieno explicare et verborum significationibus vim inferre, maluerunt inepte locutum sibi fingere Horatium, quamquam id quidem fugisse eos videtur, quam concedere Horatii de Lucilio judicium paulo nimis durum et iniquum esse, maluerunt locum Quintiliani tam apertum et planum summo cum artificio cavillari quam sermonis latini usum sequi.

Sed haec quidem hactenus.

III. De primo Horatii carmine.

Eo carmine, inquit G. Hermannus (in progr. Lips. 1842. *de primo carmine Horatii*), quod totius voluminis primum est, Horatius exposuit, se, cum alii aliis rebus studeant, poesi delectari. „Nam qui v. 29 scribendum censuerunt *Te — dis miscent superis*, fecerunt, ut carmen per se non optimum pessimum fieret, diceretque poeta: alii aliis rebus gaudent; tu, Maecenas, magnus poeta es, ego parvus: quodsi tu me probas, credam me ad sidera tolli". Recte deinde Herm. talem sententiarum distributionem et consecutionem minime justam et aptam demonstravit haudquaquam putari posse ab Horatio factam et institutam esse. Sed simplicius illo de hac re exposuit ad h. v. Fr. Ritterus eos

qui *te* injecerunt pro *me* admonens, neque Maecenatem lyricae poesis gloriam sibi arrogasse, licet non esset alienus a lusibus poeticis, et Horatium in Maecenate agnovisse quidem doctrinam, poeticae tamen artis laudem nusquam concessisse; quibus rebus ait accedere, quod non singulos homines, sed genera hominum poeta sibi compararit. Jam vero Hermannus: at ne sic quidem, inquit, est quod magnopere laudemus hoc carmen.

Hoc ipsum Hermanni iniquum de hoc carmine Horatiano judicium nos movit, ut singula quaedam, quae vir summus reprehendit, examinaremus paulum et quamvis brevissime, quo nomine carmen vituperandum esset, disquireremus.

Etenim primum Herm. offendit in ipsa rerum earum, quibus gaudere homines soleant, enumeratione: quae, inquit, quamvis singula pulcre exornata sint, tamen lectorem nimis diu suspensum habent, usquedum cur illa percenseantur cognoscat. Quamquam Horatium illa cumulatione exemplorum etiam delectatum videri posse aliis nonnullis carminibus allatis ostendit. Ad haec satis habeo dixisse, quod et ipse Herm. concedit, singula pulcre exornata esse: quid quod Ritt. etiam virtutem carminis agnoscit in magna varietate studiorum sollerter expressa? Nam si singula quaeque bene et apte dicta sunt, tum quid erit in toto reprehendendum? quid restabit molesti? Nempe cur potissimum varia illa vitae genera a poeta percenserentur, neque Hermannum fugit neque alium quemquam praeterire poterat.

At, inquit Herm., etiam alia sunt quae displiceant in hoc carmine. Non enim immerito a viris doctis ait verbum desiderari in his versibus (7 sqq.): *hunc si mobilium . . . de Libycis verritur areis.* Quamquam ne hac quidem in re prorsus patet et aperta est summi viri sententia. Etenim is postquam non dubitare se dixit, quin genuini essent hi versus, et Bentleji conjecturam *(nobilis . . evehere)* item in his versibus verbum desiderantis improbavit: — hanc autem etiam V. D. Kiessling rejecit in dissertatione *de primi Horatii carmine* 1823. atque optimi quique interpretes —: ipse locum eo quo par est modo etiam *nullo addito verbo* interpretatur. Cum enim, inquit, *evehit ad deos* (v. 6) tantum amplificando isti *juvat* (v. 4) additum sit, nihil impedit, quin quae in utroque verbo notio inest etiam ad sequentia referatur. Nihil igitur ne in his quidem versibus ex ipsius Hermanni judicio invenitur quod jure vituperetur. Nam si quod verbum ille desiderat et tamen structuram orationis facillime etiam nullo addito verbo explicat, non videtur certe sibi ipse constare.

Videamus igitur cetera. »Verum, inquit Herm., haeremus etiam in fine carminis, in quo illa *quodsi me lyricis vatibus inseris* apertum est non recte dicta esse. Oportebat enim aut *quodsi tu me* aut *tu si me*. In quibus cur adeo urgeat Herm. vocem *tu*, non intelligimus. Nam postquam initio poeta Maecenatem magnificentissime appellavit, minime opus erat iterum voce efferre illud *tu*, cum, cujusnam potissimum judicio et auctoritate lyricis se inseri vellet vatibus, satis jam indicasset, etiamsi deesset v. *tu*. Nempe poterat quidem Horatius hoc adjicere, sed nescio qua causa noluit: et facile eo possumus carere. Illud vero *tu si me* si posuisset Horatius sine nulla cum antecedentibus conjunctione, ne recte quidem illum dicturum fuisse statuimus. Desideratum igitur pronomen *tu* minime Hermannum debebat movere, ut non solum extremos duos hujus carminis versus, sed etiam duos primos ab Horatio abjudicandos scribaeque otioso et incontinenti addicendos censeret. Ita enim suspicatur ille: quem jam audiamus ipsum. Manet enim, inquit, aliud multo gravius, quo factum est, ut totum carmen ineptum sit atque absurdum. Nam quid illa sibi volunt: *Maecenas atavis edite regibus O et praesidium et dulce decus meum?* Quorsum ista tam . . magnifica appellatio? Exspectamus . . quid insigne quodque dignum tam honorifice invocato patrono sit, secuturum. Quid vero infert hic, qui tanto hiatu os aperuit? Rem tritissimam . . nihil omnino habentem quod viro atavis regibus edito, qui praesidium et decus poetae sit, narrari conveniat: longissimam enumerationem earum rerum, quibus pro suo quisque ingenio vel delectetur vel non delectetur: quae profecto post tam grandiloquam allocutionem non modo inepta sed plane ridicula expositio est. Hic vero eximium nobis auxilium fert Meinekii observatio (omnia Horatii carmina statuentis ex strophis quatuor versuum esse composita). Nam recisis et primis duobus et postremis duobus carminis versibus non solum strophas plena sententia conclusas . . . . sed etiam totum carmen apte pulcreque compositum habemus.

Vidimus igitur Hermannum damnatis postremis duobus hujus carminis versibus coactum quasi fuisse ut primos quoque duos rescinderet. Atque id quidem ei concedimus neutros sine alteris stare posse. Sed nos cum postremos tanquam genuinos agnoverimus, item primos illos retinere et defendere coacti sumus. Nam quod, si et primi et postremi duo versus integri remanent, nulla fere stropha, sin reciduntur, tan-

tum non omnes plena sententia concluduntur, id nobis leve videtur esse. At quid est cur tandem adeo displicuerint Hermanno primi duo illi versus? Nimirum splendidissimam Maecenatis nuncupationem sequitur longa illa variorum vitae generum enumeratio, quae non digna potest tali exordio cogitari! Quid vero? num re vera sola vitae generum sive studiorum humanorum enumeratio toto post Maecenatis appellationem carmine continetur? Immo summa carminis versatur in iis, quae illam diversorum seriem studiorum sequuntur a verbis *me doctarum hederae*, quibus poeta suum vitae genus ceterorum omnium opponit se dicens unice lyricae poesi operam dare et, si a Maecenate in lyricorum vatum numero habitus fuerit, beatum fore atque paene in deos relatum sibi visum iri. Quae si recte a nobis disputata sunt, non jam r i d i c u l a poterit aut i n e p t a Horatii in his expositio videri. Immo sic omnia apte procedunt. Nam quid Horatio optabilius esse poterat, quid magis eum erigere et beare, quam si Maecenas, cui hoc carmen unaque, ut veri simile est, totos tres priores poematum libros dedicare vellet, cujus eleganti in rebus cum ad litteras tum ad poesin pertinentibus judicio plurimum tribueret, vatem suum lyricis Graecorum poetis parem existimaret? Etenim tale fere poetae in hoc carmine ad patronum suum misso consilium fuisse statuendum est, quippe quod ex toto numero delectum aptius ceteris primum in carminum volumine locum ipsi tenere posse videretur: ut scilicet Horatium putemus tanquam lyricum poetam Maecenati commendatum se atque probatum voluisse: si quidem verum est, quod per se jam veri simillimum esse dicit Ritt. in prolegg. ad edit. Hor. p. XLIIII: Horatium non nisi occasione postulante et impellente ad lyrae sonum cecinisse.

Itaque, si jam summam quandam conficimus: nulla esse ea quae Herm. in hoc carmine vitia deprehendisse sibi videbatur neque quidquam aut initio aut fine recidendum esse apparet. Tantum addimus, restare aliquid de quo quis jure dubitet: cur potissimum Horatius in variorum vitae generum recensu primo loco ludorum Olympiacorum studium commemoraverit. Cujus rei rationem quaerentibus praesto est Pindari apud Sextum Empiricum locus a Rittero laudatus, quem in mente poeta habuisse videtur. Etenim ibi cum Pindarus haec studia laudaverit et operam in poesi collocatam cum reliquis vitae contentionibus compararit: inde fortasse Horatius illud sumpsisse putandus est. Sed aliquantulum poeta in hac re lapsus est, quippe qui orsus a studiis graecanicis ad Romana descenderet.



Schulnachrichten.

Allgemeine Lehrverfassung für das Schuljahr von Ostern 1857 bis Ostern 1858.

I. Prima.

Ordinarius: der Director.

1) *Religion:* Im *Sommer* die Augsburgische Confession gelesen und erklärt, im *Winter* der Brief des Paulus an die Galater und der Brief des Jacobus in der Ursprache; Katechismus und Kirchenlieder 2 Stunden Domprediger Mitzschke.

2) *Deutsch:* Correctur deutscher Aufsätze, Geschichte der deutschen Literatur bis auf Luther, Lectüre einzelner klassischer Schriften 3 St. Gymn.-Lehrer Silber.

3) *Lateinisch:* Tacit. Annal. lib. IV., Cic. de nat. deorum lib. I., Horat. ausgewählte Oden des 2. und 3. Buchs, Controle der Privatlectüre der Episteln und Satiren 5 Stunden, Stil- und Disputirübungen 3 St. der Director.

4) *Griechisch:* Sophocl. Aiax, mehrere Bücher der Ilias, grösstentheils cursorisch, mitunter Stilübungen in der Klasse 4 St. der Director, Thucyd. III, 1—63, Scripta, Controle der prosaischen Privatlectüre 2 St. Dr. Holtze.

5) *Französisch:* Histoire de Charlemagne par Capefigue (nach der Göbel'schen Ausgabe), daneben Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen in das Französische und Repetition der Grammatik 2 St. Dr. Schulze und nach dessen Tode Dr. Holtze.

6) *Geschichte und Geographie:* Geschichte der neueren Zeit von der Reformation an bis 1700 nebst allgemeinen Repetitionen der Geschichte und Geographie 3 St. Dr. Schulze und nach dessen Tode Gymn.-Lehrer Silber.

7) *Mathematik:* Im *S.* Stereometrie, arithmetische und geometrische Reihen, binomischer Lehrsatz nebst Anwendungen; im *W.* weitere Ausführung der Lehre vom Kreise, Kettenbrüche und unbestimmte Analytik 4 St. Prof. Hülsen.

8) *Physik:* Im *S.* Electricität und Magnetismus; im *W.* Wärme und Meteorologie 2 St. Prof. Hülsen.

